Fragmentarium

debitas frequentissime exhibeamus.
B. Merito et oculos pariter cum ma-
nibus ad te regina mundi attollamus.
et coram tue celsitudinis gloria genu
flectimus, cum cor in clamoribus ac ple-
nas suspiriis ad te preces in celum
transmittimus.

Thronus eius sicut sol in conspectu etc. Verba
ista possunt esse dei patris de filio lo-
quentis et immensam eius gloriam commendantis
ait ergo. Thronus eius etc. Thronus filii dei.
thronus in quem intrare et uenire. Thronus corpo-
ralis fuit mater maria. que hodie in con-
spectu dei patris est una cum filio in corporali
esse creditur. Aug. Thronum dei tabernaculum
domini. Thalamum christi dignum est ibi esse ubi
ipse est. Tam preclarum thesaurum dig-
num est celum seruare quam terram. Consideran-
dum autem quod beata uirgo mystice thronus est
eburneus. Thronus saphirinus. Thronus nubeus.
thronus solaris. Thronus est eburneus pro in-
tegritate incorruptionis. Thronus saphirinus
pro serenitate consolationis. Thronus nubeus pro pie-
tate miserationis. Thronus solaris pro claritate
glorificationis. Dicitur in iii. Reg. x. Fecit rex
Salomon thronum de ebore grandem et uesti-
uit eum auro fuluo etc. Rex Salomon re-
gem christum uerum pacificum signat. Hunc thro-
nus eburneus est uirgo maria. In ebore
enim quod mundum et candidum et frigidum est
castitas significatur. Maria ergo tota fuit
eburnea tam mente quam carne uirginea.
talis thronus talem regem decebat. B. Hec B.
decebat deum alia mater quam uirgo. nec
uirginem alius filius quam deus. quia non maior
inter matres nec maior inter filios nasci
potuit. Thronus iste uestitus fuit auro ca-
ritatis. Hoc est aurum quo et archa dei uestita
fuit intus et extra sicut legitur Exo. xxx
vii. Archa dei est mater dei. continens
mannam diuinitatis et uirgam humanitatis christi. Hec
archa facta est de lignis sethim imputribilibus
et uere maria imputribilis fuit per incorruptionem
uirginitatis. et uere putridi sunt coram deo. et an-
gelis eius omnes incontinentes. Johel. i. Compu-
truerunt iumenta. archa ista imputribilis casti-
tatis uestita fuit intus in corde et extra in corpore
auro preciosissime caritatis. Jo. Beata es dei ge- Jo. 9
nitrix cuius castorum uirginitatis splendidius e-
minent circumdata officio caritatis. Dicitur in
Eze. i. Super firmamentum quod erat imminens ca-
piti eorum quasi aspectus lapidis saphiri. Simili-
tudo throni etc. Iste hanc uisionem uidit propheta
iiii. animalia et super animalia firmamentum cristalli-
num. et super firmamentum thronum saphirinum. et
super thronum similitudinem hominis. Per iiii. anima-
lia sic exponit beatus Gregorius. Significantur omnes G.
iusti degentes adhuc in carne animali. per
firmamentum cristallinum natura angelica uel est
tota triumphans ecclesia significatur. que ad modum cristalli
prima est eterno lumini. per thronum saphirinum beata
uirgo maria significatur. propter celeste eius conuersatio-
nem. Saphirus enim celestem habet colorem sic uirgo
sancta celestem habuit conuersationem. Phil. iii. Nostra con-
uersatio in celis est. De talibus dicitur Tren. iiii. Saphiro
pulchriores sed heu multi non saphiro pulchriores.
sed carbone nigriores sunt in conuersatione. De quibus
ibidem subditur. Denigrata super carbones
facies eorum. Sed certe omnibus qui fuerunt saphiro
pulchriores beata maria pulchrior fuit puritate et mo-
res. propter quod facta est thronus dei speciosissimus. Jo. in Jo. 9
ipsa posuit rex thronum suum quia concupiuit eius
speciem et decorem. Videamus ergo tantum quod super ani-
malia ecclesie militantis est firmamentum ecclesie triumpha-
ntis. super hoc firmamentum est thronus id est beata maria
super thronum autem est homo christus ihesus. et uere merito tam
dignissimum locum super angelos et sanctos ei contulit
in celo. que in ipsa dignissimum locum habuit in mundo.
B. Hec in mundo locus dignior uirginalis uteri B.
templo in quo filium dei maria suscepit non in celis regali

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 5, (seq. 31) – Commentarius in loca S. Scripturae (https://fragmentarium.ms/view/page/F-i1sl/1275/17139)